A. Z.

QUIRINI KUHLMANNI

Jesuelitæ

Constantinopolitana

de

CONVERSIONE *TURCARUM*;

Romæ novæ sive Stampoldæ scripta, die 1. *Augusti, M.DC.LXXVIII.*

Londinique Angliæ sigillata publicataque die 1. *Maji, M.DC.LXXXI.*

AD

MAHOMETEM IV.


Imperatorem Turcicum.

Ex Germanico translata.

Adjunctæ sunt Epistolæ ad Agam Smyrnensem, Patriarchamque Græcum.

LONDINI, Excudebat *Johannes Gain*, *Anno* 1682.

PROPRIUM
de
Itinere ſuo Conſtantinopolitano
TESTIMONIUM.



Sollicitabatur Conſtantinopolitanus
Innumerabilibus ſollicitudinibus.



1. *Deus det tibi felicitatem, ſalutem, Benedictionem, Vitamque longævam*, O Tu Capitanee Grandis ab Oriente Solis !

2. NOmine iſto, quo Creator Cœli ac Terræ Te *Tuoſque Throni-Succeſſores* expreſsè nominavit, alloquor Te meritiſſimo tuo, primùm ad Te adventans, ut VOLUNTATEM CREATORIS Cœli ac Terræ Tibi notificarem.

3. Nam *Novella*, quam affero Tibi Regniſque tuis, eſt *tam ingens*, *tam excellens*, *tam glorioſa*, ut omnes Regiones ſuper illâ tempore ſuo conturbentur, nomen Omnipotentis, *qui erat*, *eſt*, *&* *venit DEUS UNUS*, jubilis exultationibuſque glorificaturæ.

4. Quapropter in Dei magni voluntate, ſub Dei magni motu, per Dei magni eductionem, decrevi mecum ex tam longinquis Regionibus Occidentalibus ad Te, cum meis à Deo adjunctis, feſtinare, ad Regnorum tuorum commodum, cunctaque cetera Providentiæ divinæ, *ABSQUE PRÆVIDENTIA PRUDENTIAQUE HUMANA*, tradere.

5. Menſibus totis quinque Iter hoc ingens, terrâ marique duravit, ad præfigurationem *Quinarii* futuri *Menſium annalium*, atque nunc (Laus

Deo) feliciter, quanquam ſub fatigationibus periculiſque multis, Reſidentiam tuam, *O Capitanee grandis ab Oriente Solis, ſolus tamen, attigi.*

6. *Munus meum*, Smyrnæ apud familiam meam relictam adhuc jacens, eſt ſummè parvum etiamque ſumme magnum, imo majus, *quam unquam Regioni huic factum.*

7. Equidem Cæſares, Reges, Principes Mundique Potentes ſolent Te, *O Capitanee grandis ab Oriente Solis*, auro, argento, gemmis aliiſque donationibus precioſis honorare: Ego vero Librum impreſſum gremium in tuum conjiciam, *cujus Autor Ipſe Deus Dominus*, per Angelos Homineſque quinquaginta circiter annis exaratum.

8. Librum impreſſum, dico, qui per Chriſtianitatem totam famoſe notus; Papæ, Cæſari, Regibus, Principibus, Magnis & Parvis miſſus; & EST TAMEN OMNIBUS IGNOTIOR QUAM RES UNICA TERRARUM.

9. Deus enim Dominus Tui causâ tuorumque Throni-ſucceſſorum librum iſtum præparavit, Chriſtianitati toti propter peccata ſua obſigillavit, exiſteſque Tu, ſi gratitudine â manu Dei illum accipies, *O Capitanee grandis ab Oriente Solis*, primus omnium, cui Deus per Inſtrumentum tàm indignum, itineribuſq; tot graviſſimis nunc ſummè debilitatum, Juvenem puta ſimpliciſſimum, iſtum exſigillaret.

10. *Pharao* audiebat ab *Joſepho* Juvene, quæ Deus per annos quatuordecim ſupra *Ægyptum* Orbemque decreverat, & quia iſtud gratioſe recepit, Regio ipſius tota erat benedicta: Tu verò

qu

qui propter possessionem *Ægypti* simul mihi *Pharao* es, audire debes exponere *Numerorum*, *nominum*, *mysteriorum occultissima*, quæ Orbi omni clausa, quibus Tu *per seculum hoc* in Successoribus Throni tui, omnia Regna tua posses felicitare.

11. Audies, quæ super Regionibus cunctis decreta; *MUTATIONES TALES*, *CUJUSMODI ADHUC NONDUM FUERE*, *qualis exitus erit cum Cæsare*, *Pontifice*, *Hispaniâ omnibusque ipsorum fœderatis*; ad qualia HOLLANDIA, ANGLIA, GALLIA, VENETIÆ, SUECIA, DANIA, SAXONIA, cum TE, Regnisque tuis vocatæ; quæ in PERSIA, MUSCOVIA, TARTARIA inque Insulis remotis futura; qualia á Judæis eorumque Tribubus deperditis, cum istas Deus adducit, Regna tua circa EUPHRATEM HIEROSOLYMAMQUE experientur, *HUJUSQUE GENERIS MAGNALIA MIRABILIAQUE MILLENA.*

12. Percipies, quæ cum TRANSILVANIA HUNGARIAQUE tibi agenda sunt jussu divino; & quo moderna hæc Bella tendant, quibus EUROPA se dirimit; quale signum præsens tua Belligeratio cum MUSCOVIA; cur Incendium magnum Stampoldæ ante annos septendecim; qualia Cometæ nostris in annis, præprimis *Cometa mirabilis ante annum*, *ITINERIS MEI AD TE PRODROMUS*, significârunt, hujusque generis innumera.

13. Cum audies, quæ Cœlum externum, post seculum, qualiaque accidentia gravia minitatur Regnis tuis hisce, Hostibus tuis cordialissime desiderata

 siderata

ſiderata, & quomodo Deus Dominus Tibi nunc manum præbeat, ob Benedictionem *Abrahami* in I S M A E L E, ad iſta avertenda, quomodo non deberes aut velles coram Creatore Cœli Terræque Te humiliare?

14. Conquire Sapientes Eruditoſque omnes in tuis circumjacentibuſqueRegnis,& cura,ut exponant Tibi Trigonum aqueum, ejuſque dominii finem poſt centum quatuor annos inſtantem; mox credo, *Capitanee grandis ab Oriente Solis*, incipies clamare: *Domine, aperi mihi Oculos meos, ut in mirabilia tua videam! Domine, ſolve mihi linguam meam, ut recte loquar, & laudem tuam annunciem. Magnus enim eſt Dominus in Cælis, & Viæ illius mirabiles.*

15. Repone idcircoTu, cum Magnatibus Grandibuſque tuis,Beneficium hoc magnum probè cordibus veſtris,jube,ut Libri hi in Vernaculá tuâ innoteſcant, ad terrorem omnium Dei Contemptorum; cura Judæorum Chriſtianorumque Libros perquirere,num cum his concordent; manda iſtos purificare á falſificatione omni ſicuti Tibi Deus Dominus injunxit, regeque Regna tua juxta mandata Dei, ut Pax & Quies in Regionibus tuis maneat, Orbe omni ſeditionibus involuto, ut Tu apud Poſteros Tuos memoriam laudabilem obtineas.

16. Magnus es coram Mundo, gratiá Dei; ego verò totus parvus. Potens es tuique Magnates Grandeſque terribiles,ego verò Juvenis invalidus, timidus, trepidus, totque neceſſitatibus gravibus præſentibus,in appulſu Regionis tuæ â Fratribus propriis paſſus,vehementer atterritus.

17. Quamobrem Simplicitas mea cor tuum moveat, *O Capitanee grandis ab Oriente Solis*, excitaque Cupiditate tuâ ad Deum, ut Deus per Imbecillitatem meam Se Tibi eò mirabiliorem revelet, ad agnoſcendum, quod Digitus Dei ſit, & quod eò plus cauſatus ſis nomen Domini concelebrare.

18. Ordina mecum, ſicuti Deus Tibi inſpirat; tamen concede mihi libertatem *cum Deo meo Triuno (qui era*, *eſt*, *& manet ab æternitate ad æternitatem in æternitate Deus Unus*, Deus *Abrahami*, Deus *Iſaaci*, Deus *Jacobi*) arctiſſimam coambulationem habendi, antequam Munus noſtrum Tibi offeram, ut nullum Verbum ex ore meo cadat, quod verbum meum ſit, inque terram cadat.

19. Ecce, *O Capitanee grandis ab Oriente Solis*, reliqui ob cauſam Dei, ne Regnis tuis Conſilium decretum occultaretur, omnia, Patriam, Hæreditatem, Cognationem, Stationem, gloriamque meam, attrahoque mihi ſimul hoſtilitatem omnium illorum, adverſus quos in Succeſſoribus Imperii tui *Judicium Univerſale ſextum* abſolves, poſtquam *primum* ſupra Primiparentes noſtros in Paradiſo, *ſecundum* ſupra Mundum per diluvium, *tertium* ſupra Sodomam ac Gomorrham, *quartum*, ſupra Pharaonem inobedientem Ægypti, *quintum* ſupra Jeruſalem anteceſsère.

20. Sum Peregrinus in Regnis tuis; circumcluſus ab adverſariis meis tanquam à *Leonibus*, dentes ſuos in me acuentibus; relictus a propriis meis, quibus neſcientibus ad Te feſtino; abſentiâ tuâ, meâque Linguæ imperitiâ, multorum etiam petulan-

ti

ti impeditione in ſtatum miſerabiliorem, quam unquam in vitá meá poſitus; ſpectoque in Spiritu quotidie adhuc excubias fortiores circa fornacē præparare,cui injectus ſum, ut in Deum confidens nunc allocutionem tuam amicabilem deſiderem.

21. Deus Dominus, qui vivit ab æterno ad æternum in æternum, flectet corda Populi tui erga me, Bonitatemque ipſis concedat talem, ut agnoſcant,me ob commodum ipſorum ad Te eſſe miſſum, ut in quietiſſimá quiete Voluntatem Dei impleam, & cuſtodiat me præ cupiditate omni ſuſpiciosâ, ut nullus in me familiamque meam in Regnis tuis cunctis peccet, Deique Vindictam ſupra ſe ducat.

22. Nam ſum Chriſtianus nativitate, Jeſus Chriſtus Ipſe mihi etiam vicibus diverſis in glorificatione ſuá apparuit; ceu Chriſtianus etiam ſub Imperio tuo vivam; Chriſto fideliter juxta mihi â Deo conceſſá dona ſerviam; neque ad dextram neque ſiniſtram á Chriſto abſcedam, atque etiam apud Te multùm ſupplicabo pro Chriſtianis meis Deum Unicum (qui ſe triunè ſaltim in Naturâ, Lege, Evangelioque revelavit) in Spiritu & Veritate adorantibus; nullos vero Angelos Sanctoſque,nullos truncos Divoſque,ad dehoneſtationem Dei invocantibus contra mandatum Dei.

23. Singulus homo eſt Similitudo Dei *Unius*, qui ſe etiam *Triunum* in Homine ſingulo revelavit; nimirum in *Animâ*, quæ immortalis, & tam Cœli quam Inferni, tam boni quàm mali conſors, in *Spiritu*,qui immortalis, & ſaltìm Cœli conſors;

ſors; in *Corpore*, quod mortale, quod reſurget; & eſt tamen homo hic triunus ſaltìm Homo Unicus.

24. Quiſquis Deum ſuper omnia, & Proximum ſuum ſicuti ſemetipſum diligit, vel ſub Naturâ aut Lege, aut Evangelio, iſte ſervit ſcientèr aut neſcientèr Deo Uni & Triuni, qui eſt in *Animæ* Voluntate, Reſtitutione perfectâ factâ, meritiſſimè *Pater*, in *Spirituoſâ* Voluntatis-Voluptate *Filius*, in *Corporali Eſſentiali* proceſſione *Spiritus Sanctus*, Deus Unus Unicuſque, Deus Trinus JEHOVAH.

25. JEHOVAH, Deus Unicus, qui in Trinitate ſuâ nullus alius eſt niſi Deus Unicus, hic vult nunc in Mundi horâ ultimâ totus Regnis tuis ſe revelare, ut omnes Gentes, Tribus, Linguæ à ſuis præliis inutilibus liberatæ, pacificè ad Fidem unam, Baptiſmum unum, nomen unum, Paſtorem Unum redeant.

26. Felix, imo præ Principibus Terrarum cunctis felix eris, *O Capitanee grandis ab Oriente Solis*, ſi Conſilium Dei non ſpernas, ſaltìm in Deum, cui ſoli gloria convenit, non in me Hominem peccatorem reſpicias, tandemque incipias publicè proclamare: *Sanctificate Vos omnes, qui in Regione meâ eſtis! Dominus enim ſub Veſperâ Mundi hujus magnificavit glorificavitque nos & Nobis* LIBRUM FÆDERIS SUI *oſtendit.*

27. Felix, imò præ Gentibus omnibus felix erit Gens tua, ſi mandato tuo ſe ſanctificat, adque Verba Dei attendens, exclamat: *Hallelujah*,

Hal-

Hallelujah! Hallelujah! Omnia bene fecit! Gloria, Laus, Honor & Gratia! Hallelujah! Hallelujah! Hallelujah! Peræ è regione Stampoldæ, cum Menses quinarii Itineris sui, dierum centum quinquaginta duorum, secundum Prophetias, impleti essent, ipso primo Augusti, quo ante quadriennium Hollandiæ Signi loco tempestas terribilissima data fuit, Anni post Christum nati, MDCLXXVIII.



Sigillum DEI VIVI,
Inter tot Signa, Miracula, Judicia post tot casus raros in Oriente & Septentrione ad Confirmationem ASIÆ EUROPÆQUE *adscriptum, appressum, appensum.*

1. 28. ITA est! In Virtute Creatoris Cœli & Terræ sigillo Epistolam meam, ad Te, *O Capitanee grandis ab Oriente Solis*, in Residentiâ tuâ, ante Menses triginta tres expeditam emissamque: consigillo istam Sigillo Dei Vivi, qui hactenus cum inauditis miraculis in cælo & terrâ, per Regiones cunctas, Opus suum ingens, in Regnis tuis instans, summis modis sigillat, consigillat, ac exsigillat.

2. 29. Quàm magnanimè ad Te festinavi, *instinctu divino* pulsus, tàm magnanimè coram Seraglio tuo instinctu divino refestinavi, quoniam Semen exseminatum tempus suum ad excrescendum requisivit : tamen oportebat me Tibi relinquere, Providentiâ Dei valdè-mirificâ, apud Hospitem Siciliensem Peræ, *Signatorium meum annulum aureum*, cujus Sigillum Dei Vivi Sigillum ; *Atramentarium meum argenteum*, quod Rosis Liliisque quasi conseminatum ; *Pixidiculam* meam *nauticam Aurichalceam*, cum Speculo Specilloque suo accensorio, ex quibus Signis tribusPræsentia mea realis in Stampoldâ tuâ, Tibi satis innotescet.

3. 30. Inquire, *O Capitanee grandis ab Oriente Solis*, quæ in Regnis tuis, ab abitu meo, sunt facta. Inquire in Libro *cæruleo inaurato*, Munere meo, quod Smyrnæ pro Te, tanquam Principe legitimo Natoliæ sive Orientis, apud CONSULEM HOLLANDICUM relictum, probaque, num Tu omnia, in Regionibus tuis mihi accidentia, in isto expressè reperias. Inquire tandem, QUIS & QUID impedimenta fuère, ad Opus Dei oretenùs Tibi manifestandum, quia minimè ad Te venerim, ut Sanguine Hamanitarum meorum Rosa JESUELIS plantaretur.

4. 31. Adii Constantinopolim, quæ apud Te Stampolda hodie appellatur, in Mensibus quinariis : redii etiam â Te navi *Constantinopoli*, in Mensibus quinariis. Navis, *Calvaria* nominata, fregit in Constantinopoli meâ Anchoram maximam

mam, cum periculosissimè ante Melos exanchorata in nos duceretur: tamen *Calvaria* in *portu* coram *Patriâ* suâ, *Hollandiâ*, circa diem *Calvariæ*, apud nos Christianos communitèr feria sexta Satisfactoria salutatum, periit. Navis quidem *Constantinopolis* incidit in periculum, aliquot diebus antea, *naufragandi*; animus meus resignavit se cum omnibus in manus Dei; attamen *Angelus sub precibus seriis mihi apparens*, portavit navim meam *Constantinopolim*, ut desideravi, maximè super arenam, ut lætissimi eodem instanti, sine detrimento unico, in portu tandem anchoraremus.

5. 32. Deus det, ut aliquis in Regione tuá sit, qui tibi hæc valeat exponere. Quamvis sigillatim statum meum externum præfiguravit, jacet tamen sub istis pro Te Regnisque tuis *Figura secretissima* occultata, quæ Te meritissimò exhilarare deberet. Est *Digitus Dei*, Creatoris Cœli & Terræ! Ipse habet solus potentiam Creaturis suis uti, *QUOMODO*, *QUANDO*, & *UBI* vult. Ipse illorum falsitatem manifestabit dedecorabitque *publicè*, qui me *clanculum* per fallaciam trucidare quærunt, propter *invincibile Opus Dei*, sicuti manè hodiernum mihi utrumq; in Visione ostendit.

6. 33. Quanquam hoc tempore mihi adhuc incomprehensa sunt, quæ ex motione præsenti expectanda; tamen Consilium Dei non debet Tibi occultari, *ad Testimonium inter Te & Me*, tam diu in me halitus vivus halitûs divini. Quapropter publicatur prelo Epistola mea *in Linguis septem*, ne ejus cursus liberrimus ab istis pessulis prioribus impediatur, usque coram Throno tuo in gremium

mium

mium tuum aſcenderit. Accipe hanc ita; ſicuti vis coram Deo accipi; & fac ita, ut Tibi mandatum eſt; *etiam cum iſtis, qui Epiſtolam hanc tibi offerunt.* Benedictio Jehovæ, Dei *Abrahami, Iſaaci* & *Jacobi* quieſcat ſupra Te *Illiſque, qui hic Inſtrumenta Organaque ſunt.*

7. 34. Aſpexiſti ante aliquot Menſes, *O Capitanee grandis ab Oriente Solis,* Cometam inaudite-ingentem, NUNTIUM REALEM REGNI JESUELITARUM, hoc eſt, Reſtitutionis Populorum omnium ad Deum Unicum & Triunum! Bene Te, quod cor tuum coram Deo flexeris, & Proclamatione Diei pænitentialis Catholici in Regnis tuis, inceperis adimplere Verba Dei ad Prophetam Drabicium: *Si Chriſtiani Voluntatem meam in deſtruendo Antichriſtianiſmo Doctrinâque pravâ & Idololatriâ exequi renuent, facient id Chriſtianis in opprobrium Turcæ & Tartari: quod horrori erit Angelis meis & Hominibus.* Macte iſtâ Indole, ut mox audiamus Prodromos Jubilationis Propheticæ; *Laudate Dominum omnes Gentes, & celebrate Nomen Altiſſimi: Dominus enim benefecit Nobis.* Deus det Tibi Regniſque tuis hanc gratiam. Scripſi *LONDINI Angliæ,* in Metropoli Jeſuelitarum, die primo *MAJI* 1681.

TUUS ad Salutem tuam, O CAPITANEE
Grandis ab Oriente Solis,

in Unico Triunoque Creatore Cæli & Terræ excitatus

Quirinus Kuhlmannus JESUELITA.

Appendix I. Conſtantinopolitanæ, *Epiſtola ad Grandem Agam Smyrnæ, fallaciis intercepta, exſigillata, ſuppreſſa.*

A Creatore Cœli Terræq; Benedicto grandi veſtro Domino ejuſque Regnis Gratiam, Benedictionem, & longævam Sanitatem!

Grandis Aga,

A Deo ad grandem veſtrum Dominum, quamvis Juvenis, miſſus ſum, ut divinâ Sapientiâ inſtructus, & offerrem ipſi oretenus, & annuntiarem, & practice exhiberem tam magnum, tam lætum, & Regnis ſuis tam glorioſum nuntium, quale non auditum fuit, tamdiu Orbis terrarum fuit, omnibus Populis ſuo tempore admirabiliſſimum. Poſt centum & tredecim dierum iter, partim terræ, partim mari factum, ante quinque dies, cum Meis feliciſſime Smyrnam appuli, ſummo animi cordolio labem veſtram videns, quâ maxime impeditus, vix hodie occaſionem inveni, propter Populi ſuſpitioſam diffidentiam, ut aditum meum hiſce lineolis indicarem. Felix es, grandis mi Aga; felix es, inquam, qui à Deo deſtinatus es ad grandem veſtrum Dominum me tranſmittere, tam in-

gentis nuntii quasi nuntius. Festina, festina, ut primâ navi, quam juxta prudentiam tuam instrues, me cures ad Stampold celerrime transvehi, indicesque grandi tuo Domino, qualis Hospes peregrinus, per tantam terræ distantiam, propter IPSUM, ipsiusque Regnorum felicitatem, periculis sumtibusque omnibus ne curatis quidem, ad audientiam festinat, in terrâ suâ habitationem simul quærens. Et quia propter Pestem, nec res meas recte ordinatas reperiam, nec inquirere queam, sumtûs mihi celerrime submitte, usque grandis vester Dominus ipse de me disponat, juxta Dei ordinationem, & res meæ â meipso ordinatæ sint, ut hujus restitutioni & Vobiscum habitationi sufficiam. Hæc procurans, grandi vestro Domino (spero) gratissimum, & erga peregrinum decentissimum, in communi hâc infelicitate facies, nomini vero tuo honorabilissimum, quod expecto. Creator cæli terræque protegat grandem vestrum Dominum, ejusque cunctos fideles Subditos. Vale. Dabam in navi Gallicâ, Josephus Delphinusque dictâ, die 28. Junii, 1678. *in Smyrnensi Portu.*

TUUS, Grandis Aga,
In Deo submississimus, officiosissimusq;

Quirinus Kuhlmannus
Christianus.

Ap-

Appendix II. Constantinopolitanæ, Epistola ad Patiarcham Græcæ Ecclesiæ, Constantinopoli residentem.

Jesu Christi crucifixi Benedictionem Pacemque.

Salve, Patriarcha Orientalis Ecclesiæ Christi, Salve. In quinto die aditûs mei ad Constantinopolim scribo tandem ad te, quem in principio quæsivi. Bonum nuntium ad Ecclesiam tuam affero, valde bonum, & admirabile auribus vestris. Ecclesia Christi in Oriente incepit, & ex Oriente per Orbem terrarum resplendebit. Antichristus Occidentalis, ad judicium Christi secundum Scripturas maturus, ab Oriente exanimabitur. Magna, magna sunt, quæ indicabo vobis, cum colloquendi Occasio mihi data erit, & Deo permittente vivam vobiscum cum familiâ meâ, nunc Smyrnæ in navi relictâ, tam in Ecclesiâ vestrâ, quam sub habitu vestro. Ab extremo Occidente per 136 *dies continuos felix quidem & sanus appuli, maximis tamen Angustiis ex invidiâ Diaboli subjectus, & cura, ut saltim latine vel Germanice per fidelem Interpretem possim plenius Voluntatem Dei declarare. Epistolæ, ad me directæ, si apud te reperiantur, celerrimè ut mihi tradantur, prima erga me tua Charitas esto, & ad Te Inscriptionem Amicis Occidentalibus dedi, quia fideliorem me inventurum Amicum, quam Ecclesiæ Christianæ Patriarcham, non credidi. Gratia Jesu Christi, in simplicitate & charitate prima sit tecum ut vivum Exemplum Ecclesiæ tuæ appareas. Scripsi Peræ die* 29 *Julii,* 1678. Quirinus Kuhlmannus.